



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A scribi soleant, eique saepe adungi & ad oram adrexi, propterea *σημειώσεως* recte dicta sunt: neque immerito Philocalæ textores hoc vocabulum Commentariis, Hieronymus Scholiis tribuere.

V. Communi quoque *ἑξήνηκον* titulo Tetrapla, Hexapla, & Octapla Origenis complectimur, quæ proprio vocabulo *ἰσχυρὸν βιβλίον* appellare possis. Cum enim ex variis Scripturæ conflata sint interpretationibus, in eum venire debuerunt censum, quo quacunque ad interpretandam Scripturam elaboravit Adamantius, continentur. Huc adiicit Epistolas Sixtus Senensis, quod propositas sibi circa Scripturæ illustrationem quæstiones rescribendo Origenes dissoluit. At cum alia quoque per Epistolas argumenta tractasse ipsum constet, velut cum ad Philippum Imperatorem, vel ad conjugem ipsius Severam, vel ad Fabianum Papam fidei suæ proferendæ causâ scriberet, merito inter Syntagmata Epistolas ipsius conjiciendas censemus.

VI. Qui interpretandis Scripturis triplex *ἑξήνηκον* genus adhibuit Origenes, is triplicem ex illis sensum eruere, ac investigare consuevit; historicum, quem & literæ sensum appellant, mysticum, & moralem. Sic ille Homil. 17. in Genes. ubi agit de benedictionibus Patriarcharum: *In ipso autem corpore & serie verborum, neque benedictiones tantum, neque futurorum sels prænantatio, quantum motes vel propositum eorum, vel etiam quadam ab eis gesta notabiliter arguuntur. Quæ res nobis tripartitam (ut in aliis fecimus) explanationis materiam subijcit, ita ut benedictiones historia locum seruent, prophetia verum mysticum atque dogmaticum, quorum correptio atque obijurgatio moralem dirigat stilum.* Quod idem in fine ejusdem Homiliae repetit. Ab historico autem sensu ad mysticum, à mystico ad moralem sese progreditur; quamvis hunc ordinem pervertat nonnumquam, literam aliquando negligat, à morali expositione ad mysticam quandoque transeat. Quæ quoniam supra luculenter tractavimus, hæc obiter tetigisse sufficiat.

VII. Finem huic imponemus Sectioni, adducentes illud Ambrosij è libr. 5. Epist. 43. *Et si se iam quod nihil difficilius sit, quam de Apostoli lectione differere, cum ipse Origenes longe minor sit in Novo, quam in Veteri Testamento.* Cujus rei causas querenti mihi id succurrit, atate Origenis pluribus Commentariis, interpretationibus, dissertationibus, Traditionibus illustratum fuisse Testamentum Vetus, quam Novum, cujus reconditiores sententia perpaucorum industria fuerant ad hoc tempus investigatæ; proindeque Instrumentum Vetus tractantem Adamantium majori fuisse in luce versatum, quam cum Novo explicando operam suam navaret. Huc accedit antiquæ Legis abrogatas ceremonias & iudicia enarrantem, minore periculo in allegorias excurrisse, & destruxisse literam, quam cum Christi decreta, & sanctiones Apostolorum, dogmatum suorum novitate depravaret.

SECTIO SECUNDA.

SINGVLA ORIGENIS ΕΞΗΗΗΤΙΚΑ, QVORVM AD NOS
PERVENIT NOTITIA, ENVMERANTVR.

E I. Enumerantur Origenis Exegetica in Pentateuchum; II. in Josue, Judices, Libros Regum, Paralipomenon, Esdra, & Iob; III. in Psalterium; IV. in Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum; V. in majores Prophetas quatuor; VI. & in minores Duodecim; VII. item in Mattheum, Lucam, Iohannem, & Acta Apostolorum; VIII. Epistolas Pauli, & Apocalypsim.

F I. POSTQVAM varia Origenianorum Exegeticæ genera percensuimus; singulas nunc exegeticas lucubrationes enumerare decet, quarum ad nostram atatem notitia pervenit. Nam ex ingenti hac, quam diximus, scriptiorum congerie, non modo pars intercidit maxima, sed multarum etiam tituli ac nomina obsoleverunt. Quatumcunque ergo memoria aliqua in Veterum scriptis servata est, eas recensebimus sigillatim, & juxta librorum Scripturæ sacræ ordinem digeremus.

Scribit Epiphanius, ex eoque Cedrenus, & Suidas, singulos Scripturæ sacræ libros Origenis studio fuisse interpretatos. Auspicandum à Genesi, quam tredecim Commentariorum libris, & mysticarum Homiliarum libris duobus explicasse ipsum testatur Hieronymus apud Rufinum Inveit. libr. 2. Idem Quæst. 1. ad Damas. narrat Adamantium duodecimum & decimum tertium librum Commentariorum suorum in Genesim huic loco exponendo consecrasse: *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Hinc emendandus Eusebius cuius libro 6. Hist. cap. 24. hæc leguntur: *ὅτι ἡ τὸ ἑξήνηκον ἔργον ἐστὶν ἰσοπέδον. Πάσης γὰρ αἰῶνος* Gen. 4. 14.